DE CORPORIBUS ALIENIS IN VESICA URINARIA OBVENIENTIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM

VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ADIPISCENDOS

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

DIE XVI. M. DECEMBRIS A. MDCCCLXV. HORA XI.

AUCTOR

OSCAR DUEMKE

SILESIUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

TH. SEIDEL, DR. MED.

E. MAYER, CAND. MED.

HALIS SAXONUM,

FORMIS ORPHANOTROPHEI.

VIRO

ILLUSTRISSIMO CELEBERRIMO

ERNESTO BLASIUS

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI

CHIRURGIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, INSTITUTI CLINICI CHIRURGICI OPHTHALMIATRICI DIRECTORI, BORUSSORUM REGI A CONSILIIS INTIMIS, ORDINIS AQUILAE RUBRAE

NEC NON

ASCANIENSIS ALBERTI URSI COGNOMINE APPELLATI EQUITI, ACADEMIARUM ET SOCIETATUM COMPLURIUM, QUAE RES MEDICAS PROMOVERE STUDENT, SODALI

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Non potest propositum esse huic dissertationi, ut materia electa omni qua fieri possit subtilitate pertractetur, et ima aeque ac media et summa funditus penitusque dilucide exponantur. Ad hoc enim talis scientia et usus in eius generis materiis tractandis opus esset, qualis non nisi larga experientia diuturnae praxis et perpetuo maximeque assiduo studio comparari possunt: ut breviter eloquar, magistri id opus esset, quale noster calamus parum exercitatus creare nequit. Ac profecto, quod nisi ex usu per saecula observato lex exstitisset, ut singuli ad dignitatem doctoris medicinae aspirantes primitias studiorum suorum in publicum proferant, nos quidem nunquam ausi essemus materiam meliore opifice dignam nostri „culpa deterere ingeni.“ „Ast legi morique semper parendum“, atque obedientes huic dicto summi omnium gentium temporumque oratoris nos quoque pro virium exilitate operam dedimus, ut satisfaceremus modicis postulationibus. Nimirum illud dictum Martialis, quo poeta quemvis librum notare in animo habebat:

„. . . sunt quaedam mediocria, sunt mala plura.“

„Quae legis hic, aliter non fit, Avite, liber“

ad has quoque paginas duplici ratione referri etiam nunc poterit, si veritatis in honorem „mala plura“ praecipue urgentur.

Materia huius libelli ex iis est, quae in tota medicina maxime excitant atque tenent animi attentionem, atque sub habilioribus manibus necessarioque sumtu cum temporis tum industriae facto opusculum haud ineptum procreari poterat. Copiosa singularium casuum varietas campum ostendit, in quo chirurgia operativa splendidissimos triumphos celebrat, studiumque eius tam iucundum reddit,

ut opera colligendi e literis, sane quidem illa haud parva, mercedum largissimam adipiscatur.

Sinistra fortuna, incauta actio, imprudentia certatim cum vitio ac malitia id agunt, ut longa series exemplorum iam literis traditorum usque novis adaugeatur. Iam in posteris ex numero haud exiguo exemplorum, quae nobis suppetunt, potissimum universales relationes de corporibus alienis in vesica urinaria obvenientibus indicaturi, ut his ipsis facta ubique statim comprobemus et explicemus, fore speramus ut, si quem habituri simus lectorem, ei lectionem reddamus iucundiorem, atque repertis saepe satis mirabilibus maiorem faciamus fidem. Omnino is, ut nobis videtur, unicus est modus aptus huic materiae tractandae. Libri chirurgiam universalem docentes si aliquas, brevissimas tantum ac non sufficientes dant notitias, atque monographias de hac materia solas in usum vocare, quid esset, nisi illas simpliciter exscribere plagiatumque admittere? E contrario haec materia rursum talis est, ut abstracta eius tractatio parum materiae ad dissertationem aliquatenus copiosam atque solidam offerat, concretorumque casuum expositio universo opusculo formam magis rotundum largiatur. Atque multiplex varietas casuum ex altera parte certo spondet, non esse ita futurum, ut eorum enumeratione nihil efficiatur nisi ut legentium taedium moveatur. Ac denique non possum finem facere quin praeceptori summe venerando, Ill. Blasius, qui primus in hanc materiam animi mei attentionem direxit, pro benevola humanitate in dandis consiliis, et paratissima liberalitate, qua libros, instrumenta, morborum historias mecum communicavit, gratias quas possum maximas ex intimo animo egerim.

Ut corpus, id quod inter omnes constat, repugnat cuivis laesioni, qua possit functionum eius organicorum exercitium perturbari, sive causa sit interna, posita in pathologica immutatione organorum, sive externa, sic idem fit tum praesertim, si qua corpora aliena aliquo modo in eius cava vel in organorum parenchyma pervenerunt. Vixdum organismus alieno habitu corporis intrusi sive in mechanismo suo sive alias perturbatum se sensit, cum protinus ad id extrudendum nisus facere incipit. Musculorum actiones saepe violentissimae, inflammatio, ulceratio, ipsa gangraena principalia sunt media, quibus organismus utitur ad eum finem, ad quem plerumque etiam sine artis auxilio pervenietur. Nimirum non deest magnus numerus casuum, ubi corpora aliena diversissimis locis vel sine noxa per totam vitam tolerata sunt, vel certe post longissimum demum tempus intentione medicatrice naturae vix sensibili extrusa. Sic glans plumbea, quae ex cavo oculi in sinum orbitalem penetraverat, per duodecim annos in hoc quieta iacuit sine ulla noxa. Paulatim viam in cavum narium sibi patefecit, inde in cavum faucium, unde tussiendo reiecta est (Baudens). Sed tamen eius generis casus semper inter rarissimos referendi sunt.

Aliter est de corporibus alienis, quae in vesicam urinariam devenerunt. Vis urinam expellens et pressus fluidi emanantis haud dubie plerumque solae sunt causae expulsionis spontaneae, quas quidem vires in minoribus tantum corporibus sufficere ad vincenda impedimenta exitui opposita manifestum est. Inter casus mihi obversantes unum tantum invenio, ubi acus fenestrata, quae biennium in vesica puellae 4 annorum fuerat, per abscessum in vulvam erupit ac denique e dextro labio eius exiit. (Med. essays and observ.) Media pars acus massa calculosa in-

crustata fuit, extremitatibus contra nudis. Plerisque in casibus, nisi ars intervenit, corpus alienum in vesica residet, ubi mox incipit nucleus calculi circum nascentis fieri. Certe hoc genus calculorum iure inter corpora vere aliena referri potest, quum veri urolithi, ut mihi videtur, corpora aliena in secunda demum serie nominari possint, quia eorum originis causa sita est in turbatione vitalitatis oriunda ex causis internis, neque prius possunt vim corporis alieni exercere quam sint excreti, pariter atque nonnullorum ex sententia sub finem graviditatis foetus ab organismo materno usque longius se abalienans sua vi atque opera nascitur. Quam ob causam in hac dissertatione de urolithis prorsum nihil egimus, imo sola corpora aliena ea, quae e regione externa vesicae urinariae (non totius corporis!) in hanc devenerint, cum calculis circum illa depositis consideranda proposuimus. Quodsi illud quoque copiosum chirurgiae caput hoc loco complecteremur, ultra fines huic tractatui propositos longe excederemus.

Ceterum priusquam medias in res prorsus me conferam, memorandum videtur, etiam in bestiarum vesicis saepius corpora aliena inventa esse, quae aliquo casu illuc delata fortasse dudum iam ibi versata fuerant. Ita Morgagni de suibus narrat, una silvatica altera domestica, in quarum vesicis reperti sunt calculi, quorum nuclei fuerunt frusta ligni.

Denique de duobus casibus mentionem hic facere libet, qui quidem proprie huc non referendi sunt, sed ob raritatem adnotatione digni videntur. Prior, quem Campaignac retulit, casus est acus capitatae, sed capite suo destitutae, in rene inventae, quae fuit circumdata calculo fusco, in superficie granuloso. Praeterea calculorum granula in calice et urethere eius renis inventa sunt. Alter casus, quamvis vetustus (Nouvelles de la république des lettres 1685) tamen unicus sui generis, acus est capitatae

in dextro urethere inventae. Uterque casus, id quod per se liquet, delituisset, nisi ea cadavera essent dissecta et in eorum exploratione fortuito casu illae singulares res inventae. De eorum aetiologia in coniecturas descendere haud opportunum videtur. Iam ad nostram materiam accuratius tractandam transimus, qua igitur in re respiciendus nobis est modus, quo corpora aliena in vesicam perveniant, qualia esse soleant, quas mutationes in vesica subeant; porro quibus indiciis manifesta fiat organorum repugnantia, denique quid auxilii sic laborantibus sive natura sive ars ferre possit.

AETIOLOGIA.

Quamquam longe plurima corpora aliena per urethram in vesicam perveniunt, tamen numerum exemplorum eorum, ubi alia via id factum fuit, tantus est, ut iure id discrimen haberi posse characteristicum videatur. Atque eam distributionem, ut mihi videtur, eo quoque tueri possumus, quod urethra quasi pro naturali via in vesicam ducente habenda est; contra, quae corpora alia via in eam perveniunt, id facere non possunt nisi communicatione extra naturalem habitum orta et integritate parietnm vesicae sublata. Una naturalis via in vesicam praeter urethram est per uretheres; sed haud scio an ullus innotuerit casus, ubi corpus alienum hac via in vesicam descenderit.

Porro agetur de hac quaestione, utrum de consilio an de improviso, fortuiti casus malignitate corpus alienum in vesicam devenerit. Si dixi de consilio, eo nolo notavisse eos casus, nbi instrumentum vel aliud corpus vel totum vel ad partem certo consilio in vesicam immittitur sed eos tantum casus, ubi sine singulari et iusta causa, ut ita dicam, sine indicatione instrumentum aliquod in ure-

thram ingestum est, ex qua deinde in vesicam pervenit. Si accuratius rem consideramus, id tum semper fit contra consilium. Unus tantummodo casus mihi notus est, ubi corpus alienum vere de consilio, atque id quidem a medico, in vesicam immissum est. Candelae portio satis longa refracta urethrae insidebat. Medicus quidam protinus fecit „la boutonnière", partem exemit, reliquum — in vesicam protrusit! Postquam duo frusta graviter incrustata serius sponte exierant, symptomata irritationis vesicae perdurabant. Ivánchich, qui est autor huius casus, arcessitus, ultimum residuum etiamtum sesquitertium pollicem longum cochlearis Mercieri ope eduxit. „Dicere de vitiis, parcere personis." Iam iis in casibus, ubi actio de considerato facta occasionem infelici casui praebuit, primo loco improvidentia petulantiae et tristissimae aberrationis a praeceptis ethicis inter frequentissimas causas notanda est. Exempla eius rei ex immodico numero casuum onaniae magis minusve manifestae duo tantum volo memorare: unum a Bouchacourt Lugdunensi communicatum (Revue méd.) mulieris viginti trium annorum, ac nuptae, cui inter masturbationem acus maior obtusa fenestrata ex eorum genere, quibus solent ligamina per foramina sua duci, in vesicam illapsa est, alterum, quod est memoratum in appendice huius libelli sub I. Si de trecentis nonaginta casibus et uno, quos Professor Denucé Burdigalensis (1856) collegit, ea subtrahuntur corpora, quae in operationibus chirurgicis vel alia via quam per urethram in vesicam pervenerunt, enormis numerus ducentorum quinquaginta octo casuum remanet, ubi corpora aliena de industria ingesta esse probabile est, adnumeratis paucis, ubi fortuito, ut contendebatur, struminis culmus inter desidendum in urethram intravit, et quae sunt similia. Eorum casuum in mares cadunt centum et novem, in feminas nonaginta sex, in quadraginta tribus

casibus de sexu nihil oonstat. Inter quatuordecim infantes fuerunt novem pueri et quinque puellae ab uno ad quindecim annos nati. Natura corporis alieni in magno casuum numero apta est sexui et occupationi personarum, ita, ut in feminis acus, rhaphithecae, alia id genus, in maribus rostra fistularum, per quas fumus Tabaci sugitur, caules plantarum, similia praecipue inveniantur.

Sed in honorem generis humani et status ethici, quem illud obtineat, supponamus in paucissimis illorum exemplorum masturbationes fuisse in causa infelicis casus; saepius fortasse ludicram petulantiam, saepius etiam fortasse nihil nisi aliquam pruriginem, uriginem vel similem sensum in illis locis, fortasse pruritu verminoso, irritatione urinae vel simili aliqua re motum incitavisse ad ingestionem instrumenti in urethram, ut contraria irritatione molestus sensus tolleretur. Quem quid prurit, scabito. Sane quidem in statu pessimistico, qui nunc dicitur, omnis casus, ubi corpora aliena, praeter instrumenta chirurgica, per urethram in vesicam pervenerunt, a principiis perquam suspectus erit; quae suspicio fortasse aliquatenus comprobari videri potest eo, quod in terris, ubi mores constat esse lasciviores, ut in Gallia, multo plures acus capillares similesque res e vesicis praecipue feminarum removendae obveniunt. Inde necessario sequi videtur, etiam in casibus, qualem memorat D u p u y de puella, quae retulit, desidenti sibi in stramina culmum sub vestimenta et in urethram devenisse, de veritate talis relationis caute dubitandum esse. Ac dubium annon is error futurus sit tam gravis: nonne euim cautos et diffidentes esse oportet, si vel hoc factum est, ut corpus alienum inesse in vesica simulatum sit? Sic in Vecti insula femina quaedam capillos calcarios methodico consilio in urethram inseruerat, ut morbo lithico operationibusque illo saepius postulatis misericordiam praecipue matronarum divitum ac

liberalium moveret. Saepe calculi cum urina excreti ad medicum velut res mirae afferuntur, qui nunquam in vesica fuerunt, ac plerumque laterum vel silicum fragmenta esse deprehenduntur. Porro magna est frequentia eorum casuum, ubi instrumenta chirurgica, velut candelae, specilla, catheteres (elastici praecipue) in urethram ingesta diffringuntur, quo facto fragmentum anticum in vesicam illabitur, dum alterum non ita refugit directam extractionem. Non raro etiam accidit, ut eius generis instrumenta integra in vesicam perveniant, sive male firmata fuerint, sive aegroti, id quod plus semel observatum est, spasmo alicuius generis oppressi instrumentum retinere non potuerunt, quo minus in vesicam illaberetur. Inter casus eius generis octo et septuaginta, qui fuerunt in illo numero, quem Denucé composuit, catheteres fuerunt metallici quindecim, elastici novem, de guttapercha septem, octo et viginti de materiis non indicatis, sedecim candelae, tria brachia lithotripterum, quae e vesicis removenda fuerunt. Aliquot eius generis casus prae ceteris memorabiles hoc loco enarrabimus, quo ea, quae dicta sunt, comprobentur.

Femina quaedam, dum catheterem sibi ipsa applicat, spasmis hystericis subito oppressa est. Cathetere diffracto alterum fragmentum in vesicam illapsum est. Postridie A. M'Nab id removit hoc modo. Uno digito in vaginam ingesto altera manu pressum supra symphysin ita exercuit, ut fragmentum transversum converteretur in eam directionem, qua posset forcipe in urethram ingesta comprehendi atque extrahi. (Lond. Med. Gaz.).

Administer quidam nosocomii militaris candelam sibi ipsi immittens animi deliquio oppressus est, quo facto candela in vesicam irrepsit. Extractio frustra tentata est, neque faustior fuit lithotomia lateralis. Longo demum post tempore, quum Langenbeck sectionem lateralem iteraret, candela multifariam implicata et concrementis urici

valde incrustata luci reddita est. Totum eius convolutum mensuram habuit 7^{cm}, vesica circum contracta fuit in figuram horologii arenarii. Fistula recto-vesicalis remansit.

Medico iuveni, qui, cum malo prostatae laboraret, ipse candelis se curabat, de una illarum portio duos pollices longa fracta est. Aliquot post diebus symptomata irritationis vesicae provenerunt, ut denique extractio facienda esset ope lithotripteris cochlearis; quae quidem ita cessit, ut duae portiones, altera semipollicis, altera sesquipollicis extraherentur. Ivánchich, qui hunc casum refert, simul alium memorat, ubi portionem 4 pollices longam, unum cum dodrante latam candelae de guttapercha extraxit. (Wien. med. Wochenschr.).

Casus a Bipoll (L'Union 1856) relatus eo est maxime memorabilis, quod antequam parvo lithotriptere frustum candelae defractum removeri potuit, strictura urethrae, quae simul exstabat, illo instrumento violenter dirumpenda fuit. Sanatio successit perfecta. Medicus quidam in actione operativa obstetricia, cum catheter non esset ad manus, specillum cavum in urethram mulieris immisit, quod in vesicam illapsum est. Langenbeck orificium urethrae dilatavit, digitum indicem et forcipem ingessit, atque instrumentum rubigine prorsus obductum et in figuram infimae partis barometri inflexum extraxit.

Talium exemplorum praeter illa magnus numerus in literis exstat; inter alios Civiale in suo „Traité de l'affection calculeuse" multos casus, quos Calot, Brugnatelli, Alghisi, White, Chopart, Louis observaverunt, alios ex sua praxi cognitos composuit. Casus summe memorabilis, quem Wolff 1833 in nosocomio Berolinensi, cui Caritas nomen est, observavit, ubi vivae muscarum larvae e vesica urinaria evacuatae sunt, me iudice etiam huc pertinet; certe ego nescio aliam eius explicationem dare, quam muscam ova in orificio urethrae hominis deposuisse,

unde in vesicam demigrare et sub favore caloris animalis ulterius evolvi potuerint. Homo erat laborans rheumatismo acuto, affectione tunicarum medullae spinalis, hydrope et paralysi, qui paucos dies ante quum exstinctus est inter vehementes dolores vesicae et deliria subito magnam quantitatem urinae ceterum normalis evacuavit, sed cum hac circiter centum larvas, tres vel quatuor lineas longas, albidas, quae in vitro urinario per sex dies vivae manserunt. Has muscarum larvas esse Ehrenberg autor fuit. Froriep in cadavere nihil abnorme reperit praeter aliquam laxationem et iniectionem tunicarum mucosarum.

Iam ab iis casibus, ubi aliena corpora per urethram in vesicam pervenerunt, transimus ad eos, ubi idem aliqua alia via effectum est, qui quidem casus multo plus quam illi novi et consideratione digni offerre solent. Illud fieri non potest, ut liquet, sine turbatione continuitatis parietum vesicae, sive haec fiat suppuratione vel gangraenescentia, sive vi mechanica. In casibus infortunatis diversissimis corpus alienum accidentibus fortuitis saepe vere miris in vesicam per eius parietes violenter intruditur, quo facto vulnus saepe brevi coit, et corpus ingressum quasi carcere tenetur, ex quo egredi unico exitu, per urethram, tanto minus potest, quanto diutius inest in vesica, incrustationibus ambitum eius usque adaugentibus. Alius est numerus casuum, ubi diversissima corpora modis saepe mirabilibus ex aliquo organo vesicae vicino (recto, colo vel quavis alia portione tractus intestinalis, vagina, utero, ovario) vesicam versus demigrare incipiunt, et inter symptomata magis minusve violenta illuc perveniunt, unde cum denique removentur, iustam admirationem excitant.

Frequentissimi huius generis casus sunt ii, ubi vulneratio facta est, plerumque glande proiectili, quae vesicam aut directa via aut ante laesis et perforatis partibus

vicinis terebrat, quo facto vel ipsa glans vel ossium ramenta, quae illa in via sua avellit, in vesica resident.

Civiale in opere iam supra laudato etiam huius generis multa exempla memorabilia collegit, quae observaverunt Covillard, Colot, Maréchal, Cheselden, Bonet, Marcet, Tulpius, alii. Ehrlich (Chirurg. Betrachtungen) de glande plumbea narrat in academia Iosephina Vindobonensi asservata, quae inter dissectionem alicuius cadaveris in vesica urinaria inventa est. Unus de casibus summa animi attentione dignis 1820 Neapoli observatus est; ubi militi, qui quatuor annis ante glande in pectoris regione antica ima percussus erat, frustum scapi sclopeti sex pollices et dimidium longum, circum quod duodecim concretiones, figura et magnitudine moris similes consederant, e vesica extractum est. Miles quidam glande in regione incisurae ischiadicae in laevam natem ictus est; glande non reperta vulnus celeriter sanatum est. Septem mensibus post e vesica eiusdem glans ferrea ponderis ℥j gr. XXXVIII. extracta est, tenuissimo arenoso indumento obducta. (Macpherson Med. chirurg. transact.). In quindecim casibus a Dixon collectis, ubi glandes primaria via vel descendendo in vesicam venerant ibique incrustatae erant, successus operationum usque in decimum annum post vulnerationem susceptarum in decem casibus faustus fuit. Einerer (Neuer Chiron. II. 370.) narrat casum, ubi puella in podicem deciderat, quo facto, symptomata characteristica cum id indicassent, vesicae sectio facta est, et complures calculi extracti, quorum nuclei erant duo ramenta ossea, quorum origo haud dubie erat ex osse ischii dextro. Aegrota etiam post illnm casum nate dextra sedere non potuit, quae minus convexa quam altera apparebat.

In alio numero casuum pariter non exiguo aliquis ex altitudine maiore vel minore in aliquam rem decidit,

cuius situs tam infaustus est, ut inter crura cadentis veniens violentia illisionis vel integer vel in fragmentis in vesicam eius impellatur. Aliquot exempla eius generis hoc casus, reor, optime illustrabunt.

Henricus Odone, chirurgus in Ovada (Rep. del Piemonte 1834) refert, puellae cuidam, cum ex arbore decideret in palum vinealem, hoc per vaginam pulso fundum vesicae laesum esse. Cuspidem defractam pali sibi ipsa extraxit. Postea quam cystitis et peritonitis inde ortae erant sublatae, propter incontinentiam urinae catheter permanens ei ordinatus est, in cuius applicatione corpus asperum ad vesicam sedens detectum est. Postquam secundum Cooperi praeceptum ad calculos e vesica muliebri tollendos urethra intra quadraginta dies satis dilatata est, forcipe ramentum ligni extractum est, duos pollices longum, unum latum, crusta calcarea obductum, quo facto incontinentia urinae prorsum sanata est. Hic casus duplici respectu instructivus est. Primum enim demonstrat, quam cito vesica alienis corporibus assuescat; symptomata inflammatoria haud dubie non ligni praesentia oriebantur, alias sola antiphlogosi non essent sublata novem dierum spatio. Deinde autem inde cognoscere licet, quantus sit fructus catheteris, cuius usus in omnibus similibus casibus nunquam negligi debet.

Faber caementarius, qui 1835 in nosocomio Parisiensi, cui nomen est Hospitale Dei, curabatur, ex alto decidens in tabulam ita devenerat, ut in ea equitaret, quo factum est, ut magnum ramentum inter tuber ischii et anum in perinaeum illideretur, quod homo ipse difficulter extraxit. Urina cruenta, dolor in hypogastrio hirudinum applicatione sunt sublata. Vulnus quinque vel sex diebus cicatrice clausum est. Obstinatus dolor inter mingendum causa exstitit, ut catheter applicaretur; qua in re urethra dura velut chorda intenta, in vesica calculus ad minimum

octodecim linearum inventus est. In operatione tum necessaria lithotriptere Heurteloupico materia albida, caemento similis, calcis fragmenta, et frustum ligni octo lineas longum, quatuor latum, satis inaequale, quod ex traverso erat comprehensum, remota sunt. Ut magnitudo et crassitudo fragmentorum calculosorum, quae dehinc numerosa exibant, persuasit, integumentum calculosum, quod lignum incluserat, circiter unam lineam crassum fuerat. Altera sessione iterum multa fragmenta calculorum lignique ramenta remota sunt. Praeterea quantitas haud exigua ligni contusi serius partim exemta, partim sponte evacuata est. (Leroy d'Etiolles, Gaz. méd. de Paris).

Ut Jobert de Lamballe (Gaz. hebdom. 1855) refert, puella quaedam cum ex alto caderet, stilum graphicum in vaginam sibi impegit, cuius pars vesicam intravit. Cum sex mensibus post id corpus detectum esset, extrahi per vaginam non iam potuit, quia portio in vesicam prominens incrustationibus valde incrassatum erat. Ut extractio fieri posset, incisione facta in vaginam effectum. Repertus est circum stilum, quatenus in vesica fuerat, calculus circuitu $9^{cm.}$, diametro $5^{cm.}$, longitudine $10{,}5^{cm.}$ habens, figura ovali irregulari, multis gibbis obsitus; nucleus erat stilus graphicus; strata porosae albidae massae calculosae introrsum densiora erant, colore omnia eodem.

Homini cuidam e magna altitudine decidenti duo ligni ramenta per anum in vesicam intrarunt. Incisione fistulae vesicae rectique, quae remanserat, post annum duo calculi patefacti sunt, qui ad ligni ramenta assidebant. (Camper, Prix de l'Académie de Chirurg.).

Interdum hoc quoque evenit, ut instrumenta chirurgica, pessaria, alia ex organis vicinis, praecipue e vagina, vesicam perforent. Sic A. Uytterhoeven (Journ. de Bruxelles 1854) narrat, cum pessarium diu in vagina feminae alicuius permanserit, nunquam exemtum et purga-

tum, dolorem in vagina, pressionem cum retentione urinae, denique vero continuum urinae e vagina effluvium obvenisse. Inspectio de pessario petiolato nihil nisi stilum chalybeum in vagina ostendit, cum corona eburna cathetere manifesto sentiretur in vagina. Pressu nimio inflammatio et gangraena antici parietis vaginae et postici vesicae erant ortae, quibus pessario via in vesicam fuit patefacta. Inter narcosin chloroformio effectam cultellus capitulatus secundum stilum chalybeum usque ad coronam pessarii promissus est, et paries vesico-vaginalis in longitudinem sesquipollicis incisus. Pessarium deorsum praecipue valde incrustatum facile extractum est, sed fistula remansit insanabilis.

Casum perquam rarum invenio notatum a Ch. Bell (A series of engravings p. 399), ubi cannula post punctionem vesicae in vulnere relicta tantum incrustata fuit, ut eius extractio graves dolores cieret.

Iam reliquum est, ut de iis casibus disseratur, ubi res, quas deglutiverunt plerumque aegroti, insani vel infantes, serius repertae sunt formantes nucleos calculorum vesicae. Antehac multum disputatum est, num id omnino fieri possit, et annon fortasse plerumque illusio in ea re fuerat. Sic Civiale in opere iam aliquoties laudato de hac materia ita iudicat (p. 78 sq.): „Sans nier la possibilité du fait dans quelques circonstances rares, on admet avec moins de facilité aujourd'hui une pareille explication, trop souvent invoquée pour éviter ou reculer d'humiliants aveux, et personne ne croirait à l'histoire de ce capucin, dont parle Scaramucci, qui disait avoir avalé ce bout de corde, qu'on trouve dans une pierre extraité de sa vessie. On douterait même d'une déclaration semblable à celle de la femme de Diemerbroeck, qui prétendait avoir avalé, avec ses aliments, une épingle de moyenne grosseur, qu'elle rendit, trois jours après, par les urines, sans avoir

ressenti la moindre douleur. Plus forte raison encore serait-on pas disposé à croire qu'une petite clef, trouvée au centre d'un calcul gros comme un oeuf de poule, ait été avalée, comme l'admettait Camerarius."

Verum ex contraria parte negari omnino non potest, exstare seriem casuum indubia fide comprobatorum, in quibus aliena corpora ex tractu intestinali in vesicam transierunt. Neque profecto tolerabilis explicatio huius rei, quae saepe perquam mira videtur, adeo difficilis est. Ex una parte causa fortasse inest in fistulosis commeatibus inter tractum intestinalem et vias uragogicas non adeo raris. Etenim, pariter atque exstante fistula vesicae rectique urina e vesica in rectum effluit, aliquando massae faecales et si qua alia intestino continentur illam viam invertere poterunt. Et revera Yonge (Philos. transact.) et Hill (Med. comment.) verum esse quod contendimus demonstrarunt, uterque uno casu, in quo massae faecales in vias uragogicas transgressae sunt. Verum etiam si nullus est canalis fistulosus, quasi via tali transitui praescripta, res alia quoque ratione sufficienter explanari potest. Exempla eius generis omnino in pathologia non ita rara sunt. Ulcus ventriculum perforans saepe sanatur graviore noxa non facta, cum adhaesiones parietum ventriculi ad organa vicina, et quidem saepe amplae, prohibuerint, quo minus contenta ventriculi in cavum abdominis egrederentur. Abscessus hepatis efficit, ut hepar cum pariete abdominis coalescat; tum si dirumpitur, satis innocuus effunditur extrorsum. Cum natura ita sua vitia ipsa corrigat, quidni aliquando passum ultro progrediatur et idem alienis quoque faciat? Alienum corpus deglutitum est, dicamus simplicitatis gratia incaute; pervenit in tractum intestinalem et optima procedit via, qua modo innocentissimo per anum ex organismo rursum eliminetur. Tum subito aliquo in loco haesitat, irritatione, quam in

intestinum exercet, inflammationem ac denique perforationem eius efficit. Iam exspectes ex perforatione peritonitidem orituram, alienum corpus et cetera contenta intestini in cavum abdominis ingressura, ac denique letalem exitum secuturum. At nihil eorum fit; potius complexus symptomatum, qui saepe vix observari potuit, prorsum evanescit, et fortasse post multos annos demum aliqui casus fortuitus, fortasse cadaveris demum dissectio, ultimum beneficium quo ars homines afficit, corpus delicti in vesica inesse demonstrabit.

Vix opus exit uno verbo ad explicandum hunc processum. Portio aliqua intestini, velut aliqua pars coli, iam ante quam perforatio facta est, cum organo adiacente coalita fuit; fortuito id organon est vesica; itaque alienum corpus, postquam etiam vesicae parietem perforavit, in vesicam transire potuit. Hoc loco aliquot exempla breviter commemorare liceat.

In sectione hominis, qui iam saepius malorum pyrenas per urethram ediderat, in vesica complura ossium fragmenta inventa sunt, quae per fistulam recto-vesicalem eo pervenerunt Howship, Plater, Bartholin, alii similia exempla laudaverunt. Res est nota et certa, quod in feminis, quae commotae gustu sane singulari acus deglutierant, hae diversis ex corporis partibus rursum provenerunt. Non igitur possit accidere, ut aliqua earum in vesicam aberret?

Watson (Baltimore Journal) casum refert matronae, quae subito vehementibus doloribus colicorum similibus, a dextro hypochondrio usque ad umbilicum et retrorsum usque in regionem renalem pertinentibus correpta est. Ea symptomata continuo levata sunt, postquam cum urina excreta est massa pro minoribus calculis habita, sed quam diligentior examinatio multitudinem granorum plumbeorum esse docuit, superficie aspera et incrustata. De coniectura

professoris Smith, grana plumbea, fortasse ex carne ferina oriunda, exulcerata flexura sigmoidea in vesicam pervenisse, certum iudicium ferre non audeo. Simile exemplum invenio in Dublin. Journ. III, 67, ubi dens molaris deglutitus nucleus calculi in vesica exstitit.

Deglutita acu cupitata haec symptomata provenerunt: urigo in oesophago, vomitiones, vehemens dolor in intestinis, denique in regione vesicali, serius frequens et vehemens pressio ad mingendum; crebra et subita interruptio radii urinae. Accessit urens dolor in recto; ac postquam subito magna quantitas puris per anum deiecta est, etiam urina per rectum effluebat. Digitus index in rectum ingestus pone partem membranaceum urethrae acum acutam deprehendit, quae firmius insidebat quam ut forcipe granata removeri posset. Speculum Weissianum in recto sub prostata fistulae foramen ostendit; fistula super specillum cavum cultello capitulato dilatata est, sphincter ani dissectus, quo facto calculus magnitudine nucis iuglandis extractus est, ex quo medio acus quindecim lineas longa prominebat.

Ante quam ab hac dissertationis meae parte discedam, duo casus breviter memorandi sunt, qui ut unica sui generis exempla in certam classem nullam inseri possunt.

Homo quidam operationi herniae incarceratae gangraenosae subiiciendus fuit, unde anum artificialem retinuit. Aliquanto post in regione vesicali acerrimos dolores sensit; facta lithotomia extractae sunt quinque drupae prunorum. Sanatio perfecta successit. (Bullet. de la sociét. philom.).

Mulier iuvenis postquam infantem mortuum peperit, tribus hebdomadibus post febri puerperali exstincta est. In huius vesica admodum dilatata et ad dimidiam partem gangraenosa inventa sunt duo glomera crinium, alterum quatuor pollices longum, alterum duos, quae materia ossea

et substantia cerebrali mixta massam circiter tres pollices in quadrato habentem efficiebant Dolendum tamen est, quod Bulletin de la faculté de médécine, ex quo haec relatio hausta est, silentio praeterit, an forte in puerperio perforatio et cephalotripsis sint factae, quibus solis illud repertum extraordinarium illuminari posse videtur.

REPERTA PATHOLOGICA.

Si nos declinantes a solito more scriptorum, qui secundo loco descriptionis alicuius morbi de anatomia pathologica agere consueverunt, huic capiti reperta pathologica inscripsimus, causa eius rei satis conspicua est. Nimirum hic quoque vesicam atque alias portiones viarum uragogicarum, videmus morbosa affectione mutatas, etiam quibusdam in casibus vel hoc vel illud organum vicinum. Ea est materiae nostrae ratio mere pathologica anatomica. Verum ex altera parte respicienda est praesentia corporis ab organismo prorsum alieni atque diversi, quod ipsum, dum in vesica versatur, haud raro mutationes physicales, nonnunquam chemicas quoque subit. Haec proprietas materiae nostrae, notabilior clinicis et chirurgis quam anatomis pathologicis, titulum generalem repertorum pathologicorum postulabat. Minus igitur in hoc quoque casu id agendum erit, ut anatomia pathologica vesicae alienis corporibus affectae fusius explicetur, quam ut corpus delicti attentius consideretur. Quodsi opus fuit in capite superiore de aetiologia exponere, i. e. de modis, quibus aliena corpora in vesicam perveniant, huic capiti ex parte propositum est de natura horum corporum et de mutationibus, quas in vesica patiantur, principalia breviter exponere.

Quod igitur primum ad mutationes vesicae attinet, haec longe plurimis in casibus simpliciter symptomata catarrhi offert. Is pro temporis ratione, per quod aliena

corpora in organismo versati sunt, aut acutus esse potest aut chronicus. In acuto catarrho e vehementi irritatione rubefactio (iniectio), relaxatio et tumefactio mucosae pendent; huius superficies muco saepe satis crasso, tenace obtecta est, admixtis variis quantitatibus detritarum cellularum epithelialium et recentium.

Paulo alia res est, si corpus alienum in vesica diutius permanens irritationem continuat, unde fit causa, ut inflammatio acuta in chronicam transeat. Tum vesica, certe ab initio, parva est, membranae eius incrassatae, praecipue mucosa tumefacta, colore schistino, saepe singulis in locis iniecta et copioso muco gelatinoso obtecta, vel pure, quae in magnas glebas glomerata, vel rarius urina soluta vel permixta, cum hac per urethram excernuntur. Non raro inflammatione vesicae pericystitis secundaria, id est inflammatio telae cellulosae vesicam circumdantis, adducitur. Haec ipsa inflammatione latius propagata rursum causa ulteriorum statuum consecutivorum fieri potest. Tela cellulosa intra organa in pelvi sita longe lateque in pus abit, vel exsudatum minus copiosum est et fibrosas incrassationes telae cellulosae et fibrosas adhaesiones diversissimorum organorum efficit. Reperta anatomica, ubi aliena eorpora fortuito tantum si fit sectio in vesica deteguntur, in plerisque eius generis casibus non transgredientur symptomata iam memorata catarrhi chronici et haec ipsa fortasse quam minima apparebunt.

Alia est rei species si corpus alienum iis statibus, quos praesentia sua excitavit, fortasse mortem accivit. Tum graves mutationes et in vesica et in ceteris organis quae insunt in pelvi animadvertentur. Exsudata inflammationis impulsu celeriter dilapsa esse possunt, in ichor abiisse et gangraenam traxisse, quo in casu certe vesica ampla et eius membranae mirum quantum laxae reperien-

tur; repleta est urina foetidissima, pure et cruore turbata, mucosa multis in locis est emollita, fusca vel nigra, in lacinias ichorosas dilapsa et sedimentis urinae íncrustata. Tunica musculosa et cellulosa pallidae sunt, laxae, infiltratae; inter eas interdum meatus purulenti exstant. Aliis in casibus meatus fistolosus ad colon, rectum, vaginam et alia pelvis organa ducens exstat, originem ducens ex perforatione, quae auxilio circumscriptae peritonitidis et conglutinationum adhaesionumque inde ortarumconfici potuit. In aliis denique casibus praeter symptomata inflammationis fortasse admodum exigua in mucosa vesicae cicatricosa tantum plasmata reperiuntur, quae sunt residua processuum iam absolutorum. Ita etiam gangraena vesicae inter formationem cicatricum admodum crassarum fibrosarum sanari potest. Secundaria dilatatio inflammationis mucosae vesicalis in urethram haud dubie saepe locum habebit. Si igitur hoc repertum anatomicum in vesica nihil singulare exhibuit praeter ea, quae in diversissimis corporis organis sectiones tam crebro offerunt, contenta vesicae contra tanto plura solent exhibere, quae summa consideratione sint digna. Reperiuntur corpora diversissimorum generum, qnalia protinus distinctius enumerabimus, in aliqua situatione et incrustationibus massa, colore, figura etc. variantibus obducta in hoc organo, non magis destinato quam idoneo ad illorum receptaculum.

Hic locus aptissimus mihi videtur, ubi non tantum pro repertis sectionum, sed omnino pro diversitate casuum, de varietate corporum alienorum aliqua exponi possint.

Ex iis medicis, qui numerum non exiguum casuum mihi obversantium publicaverunt rursum, est Civiale, qui omnino de capite affectionum calculosarum eximie meritus est, apud quem maxima varietas rerum in vesica inventarum enumeratur. Ita magnum exemplorum numerum enarravit ubi Nicolas de Blegny, Cheselden, Baillie,

Walter, Brugnatelli, Claudinus, Gregory, Benedetti, Molinetti, Alghisi, Morgagni, Deschamps, Chopart, Logau alii acus fenestratas et capitatas e vesica removerunt. Acus plus minusve erant incrustatae, cuspides aliquarum defractae, aliae ut ita dicam in vesica demum exacutae erant. Capitatae acus partim capita amiserant. Materiae ex quibus acus constabant, fuerunt chalybs, ferrum, cuprum, ebur; magnitudo fuit admodum diversa, a vulgari subtili acu, qua utuntur feminae in operibus domesticis, usque ad crassam illam, qua utitur velorum confector. Saepius observatum est, cuspides talium acuum in parietem vesicae solide defixas esse.

Deinde saepissime acus capillares in vesica reperiuntur, plerumque male incurvatae et in situ transverso.

Frequentissima tamen sunt instrumenta chirugirca, praecipue candelae vel harum vel catheterum fragmenta, quae in vesicam illapsa inde removenda sunt. Candelarum fragmenta plerumque in glomera convolvuntur et sic cum incrustationibus inhaerentibus massam magnitudinis et formae incertae efficiunt, cum ex catheteribus, ut apparet, elastici tantum id facere possint, metallici contra plerumque satis immutati maneant, nisi quod post longius tempus urinae effectus in iis conspiciantur.

Supervacaneum est chirurgos iam supra laudatos, qui eius generis casus publicaverunt, atque ipsos casus hic repetere. Neque magis possum intendere hic rursum enumerare omnes casus, ubi ossium fragmenta aliqua via in vesicam ingressa in hac reperta sunt, vel denique nomina eorum recensere, qui eos in publicum ediderunt. Haec quoque corpora plus minusve incrustata fuerunt, ceterum ad summum aliquid macerata. Ceterum nihilominus non possum facere quin de duobus casibus supra nondum memoratis mentionem faciam, cum hic res quaedam rarissimae et maxime mirabiles accedant. Lecieux per fistulam

vesico-vaginalem duodecim calculos figura et magnitudine diversos extraxit, quorum nuclei erant diversa ossa foetus; haec quidem aliter in vesicam pervenisse non poterant, nisi eo, quod ea femina quinque annis (!) ante quintum mensem graviditatis agens ex alto deciderat. Ea ossa fuerunt frusta femoris, tibiae, claviculae, humeri et diversorum ossium cranii. „Quelque extraordinaire“ Civiale, qui hunc casum refert, pergit „que puisse paraître ce fait, il n'a rien de plus surprenant, que les excrétions de portions de foetus par les selles, dont on connait quelques exemples. D' alleurs, il n'est pas seul de son espèce.“ Josephi (über die Schwangerschaft ausserhalb der Gebärmutter) rapporte, qu'une femme qui s'était déjà retirée elle-même une mâchoire inférieure de foetus par l'urètre, ayant été obligée, l'année suivante, de se soumettre à l'opération de la taille, on enleva de sa vessie vingt pierres et cent douze os; après la mort, la matrice n'offrit rien de remarquable; mais la vessie était squirrheuse et pleine de concrétions; une communication existait entre elle et un kyste qui remplaçait l'ovaire droit. Ce n'est, en effet, qu'à l'aide d'adhérences suivies de fistules, qu'on peut se rendre raison de ces bizarres anomalies.“

Non minus numerosi quam illi sunt casus glandium ferrearum vel plumbearum ex armis ignivomis proiectarum (Fabrice de Hilden, Covillard, al.), granorum plumbeorum (Watson), frustorum plumbi (Morand, Traité de la taille) parvorum clavorum minorumque plumbi frustulorum, quae recognita sunt fragmenta specilli esse, cuncta in eodem homine (Baillie, anatom. pathol.). Praeterea in vesica invenerunt: Tolet acum fenestratam obtusam, duos pollices longam, Lamotte filum aeneum, Liston annulum cupreum, Nannoni furculae dentem, chirurgus quidam anglicus clavum e solea ferrea, quem Ehrlich in museo hospitalis St. Thomae

Londinensis vidit, medicus quidam Monspeliensis fistulam eburnam, Camper et O'Brien dentes humanos vel eorum fragmenta, Brugnatelli ferulam de barba balaenae, Colot cylindrum carpti lintei et frameam sutoriam, Chopart fragmentum palmitis, Deschamps igniarium, Vicq-d'Azyr, Camper, Leroy d'Etiolles, Walter, Morgagni, Cloquet, Benevoli fragmenta ligni et corticis, Sancerotte, Dumont, Richerand, Civiale tubulos vitreos, Civiale et Pouteau phaseolos et pisa arvensia, Paré nucem, Wilson avellanam, Petraeus acinum, Moreau malum gallicum, Powel, Brodie, Gibbing, Baillie, Claus, Borrich, Schenk, Civiale crines, Platner plumas, Frommherz denique silicem cum nucleo de quarzo, mixtum calcaria carbonica. Lopischler corpora invenit, quae pro baccis iuniperi habebantur, sed quae Schultze (Haller, Disp. chir) coagula sanguinis vel globulos calcariae oxalicae esse contendit. Praeterea haec corpora in vesica reperta sunt: Auriscalpia (Mém. de l'acad. de chirurg. et l'hist. de la soc. de méd. de Paris), ligamentum coriaceum ex calceo (Gaz. des hôpitaux), fragmentum de scapo sclopeti (in nosocomio militari Neapolitano).

Hactenus de casibus, quos Civiale memoravit et quos ii, qui in hanc materiam fortasse diligentius studium collaturi sint, in libro iam pluries laudato huius autoris fusius relatos et expositos legere possunt. Iam mihi solum restat, ut reperta partim admodum memorabilia e numero casuum, quos et aliis fontibus collegi, hic breviter memorem, cum in his plerumque agatur de rebus, quarum mentio supra nondum facta est.

Nonnulli eorum iam in superiore capite accuratius relati sunt, quam ob rem hic obiecta tantum reperta nominare opus est. Ita Wolff, ut lector reminiscetur, vivas muscarum larvas invenit, A. M'Nab catheteris fragmen-

tum, Odone et Leroy d'Etiolles ligni ramenta, Bouchacourt acum fenestratam obtusam, Ivánchich et Bipoll saepius candelas, Macpherson glandem plumbeam, Dittel acum capitatam, A. Uytterhoeven pessarium, vel potius coronam eius eburnam, Job. de Lamballe stilum graphicum partim in vesica partim in vagina situm, Voss stilum schistinum, Buchanan fragmenta catheterum, Langenbeck candelas et specillum cavum, Martini stilum tres pollices longum, quales ad scribendum in tabulis schistinis adhibentur, Everard Home in vesica hortulani cuiusdam invenit petiolum floris, quem hic propter stricturam urethrae sibi ingesserat. Idem saepius cerae et cereorum frusta nucleos calculorum vesicalium invenit; Chaumet spicam secalinam incrustatam, palmitem, filum sutorium, stilum metallicum ad pennas scriptorias tenendas, quas res lithotripsi vel sectione bilaterali removit. Dupuy et Dieulafoy raphithecas, Cazenave acum capillarem et catheterem metallicum, Brodie avellanam, Thomas argenteum dentiscalpium, Cooper fragmentum carbonis.

Aliquot alii casus nondum memorati hic breviter adiungantur.

Iuvenis quidam viginti quinque annorum tubum metallicum, in quo inerat elater chalybeus, in vesicam illabi siverat; qui specillo vere repertus est et quidem transversus iacens a sinistra dextram versus circiter in media vesica. Dieffenbach neque lithotomiam neque extractionem elegit, sed operationem paracentesi vesicae aliquatenus similem fecit. Forceps bibrachia, quam Heurteloup et Charrière proposuerunt, in vesicam immissa est et corpus comprehensum ita inversum, ut altera extremitas oblique in regionem anticam et superiorem, altera igitur in posticam et inferiorem directa esset. Illa igitur supra simphysin ossium pubis, haec per rectum sentir

posse debebat. Iam loco prius indicato punctio facta est, extremitas protinus in vulnus intrans comprehensa et extracta (Casper, Wochenschr. 1843). In hunc casum serius iterum revertemur.

Henry Norris (Guy's Hosp. Rep.) hominem quendam curabat, qui quotidie magnas quantitates puris partim cum ipso radio urinae, partim continuo postea evacuabat et in regione vesicali, adhibita pressione, magnum dolorem sentiebat. Pectore adeo laborabat, ut operatio fieri non posset, sed homo morti esset permittendus. Sectio in vesica angustata, cuius parietes erant admodum incrassati, invenit urinae sex uncias, puris magnam quantitatem et permulta concrementa calculosa, quae cum frustis culmorum straminis massam indispositam formabant.

Dieffenbach propter calculum vesicalem, quem Ruge diagnosi indicaverat, lithotomiam fecit. Sectio brevi post facta exhibuit ovarium sinistrum suppuratione destructum, et commeatum inter id et vesicam, in hac ipsa fasciculum capillorum.

Scheuten et Wutzer, Bonnenses (Deutsche Klinik) referunt de sene sexagenario, qui saepe cum urina quantitatem corporum vermiformium, usque ad sex pollices longorum, cerasorum colorem imitantium evacuabat, quae a multis medicis pro Strongylo gigante habebantur, donec tandem Gurlt Berolinensis et O. Weber Bonnensis veram eorum naturam demonstrarunt, coagula de fibrina sanguinis esse asserentes.

Verum etiam animalia, licet ex infimis tantum eorum classibus in vesica urinaria hominis inveniuntur. Ita Erismann (Schweizer Zeitschrift) eius generis casum admodum memorabilem narrat. Curatio vehementis catarrhi vesicalis diu successu caruerat, cum subito inter enormes molestias cum circiter duabus unciis urinae crassae, purulentae glomus pisi magnitudine evacuatus est, quod ipsum e massa

purulenta constare videbatur, quo facto continuo mitigatio et remissio omnium symptomatum, quae antea adfuerant, successit. Glomus autem ipsum se exhibuit vivum Ptinum furem (Ptinus latro) Linn., qui in aëre protinus exspiravit. Quomodo haec creatura in vesicam pervenire potuerit, hoc loco disquirere non est in animo; quomodo autor rem explicaverit, addidisse satis videtur. Secundum illius opinionem una quae cogitari possit explicatio haec est: coleopterum cum potione in ventriculum, atque inde per directum commeatum (?) in vesicam pervenisse, ubi caloris animalis ope in metamorphosibus suis procedere pergeret. Ut hanc explicationem credat, cuiquam persuadere ratione anatomiae non possum. Neque ea explicatio, quam Gottschalk dedit in auxilium vocata generatione aequivoca in fundo portionis mucosae emortuae hodierno statui physiologiae respondet. Nonne aliquanto similior veri videatur coniectura, quae satis in propatulo est, viam, qua usus sit improbus ille, fuisse urethram?

Drake observavit (Med. chir. transact.) entozoa e vesica puellae cuiusdam exeuntia, quae Curling coactus fuit in nova classe Nemetoidum (Rudolphi) ponere. Soli habitatores organorum uragogorum hominis usque ad illud tempus cogniti ex classe Nemetoidum fuerunt Strongylus gigas et Spiroptera hominis; novam speciem Curling Dactylium aculeatum (genus D.) nominavit.

Zink duos vermes e vesica feminae cuiusdam abeuntes vidit, et praeter illum etiam Bremser, Barnet, Raisin, Moublet, Duchateau, Preissmann, v. Reusselaer, Wolf, v. Wedekind, Schrader eius generis casus observaverunt. Quid quod Schrader contendit se vidisse vivas cochleas e vesica evacuari? Sub finem non possum facere, quin memorem casum, quem Weitenkampf (Caspers Wochenschrift) narrat: Puella, quae iam compluribus malis laborabat, dysuria correpta est,

cum subito inter symptomata stranguriae Hydatides evacuare coepit. Hae magnitudine variabant a piso usque ad nucem iuglandem et inspectio per microscopum docuit, vivas esse. Ita hoc spectaculum quinto vel sexto quoque die repetitum per menses duravisse et post singulas Hydatidum emigrationes, quae fiebant numero vario (usque ad quinquaginta et sexaginta), stranguriae remissionem factam esse traditnm est. Adhibitis roborantibus, anthelminticis et oleo Chaberti (una parte olei animalis cum tribus olei Terebinthinae mixta et inde tribus partibus destillatis, unc. $^1/_2$—1 pro die) hoc phaenomenon denique evanuisse dicitur.

Iam solum restat, ut pauca dicamus de incrustationibus, quae circum corpus alienum in vesicam ingressum, mox postquam intravit, considere solent. Iam post aliquot hebdomades tale corpus tenue indumentum habet, post aliquot menses iam verus calculus exstat. Certe hic processus normalis habendus est, licet exceptiones et variationes satis frequentes obveniant. Corpora, quorum figura in diversas directiones satis aequalis est, aequalius etiam incrustari solent et sic nucleum calculi vero sensu sistere; corpora longa, praecipue quae bacilli vel tubi figuram habent, e contrario primum in media parte sedimento obduci solent, ad extremitates interdum prorsus nudae manere. Calculi circum talia corpora formati etiam multo molestiores sunt, atque interdum gravia mala trahunt, velut inflammationem vesicae, abscessus, fistulas.

De ceteris qualitatibus physicalibus et chemicis incrustationum ut multa dicam nihil opus esse mihi videtur. In universum easdem qualitates habent ac vulgares urolithi, quippe a quibus sola causarum diversitate recedunt. Atque hoc caput iam ex chirurgia nimium notum est, atque in enchiridiis nimium accurate et subtiliter descri-

ptum, quam ut ego periculum faciam depictione mei calami parum exercitati excitandi taedium.

Quod attinet ad colorem, illa concrementa modo videmus colore puro albo, luteo, fusco obscuriore vel lucidiore, modo, id quod multo frequentius usu venit, maxima varietate colorum e mixtura albi, lutei, grisei, fusci, rubelli, nigri prodeuntium tincta. Superficies eorum modo est laevis, modo aspera, inaequalis, tuberculosa, variis magnis verrucosis prominentiis distincta, aequaliter rotundata vel potius angulosa et irregularia, modo crystallina, splendentia, modo specie magis opaca. Structura strata concentrica, manifesto distinguenda vel potius aequalem massam ostendere potest, saepius opaca strata cum lucidis alternantia visa sunt, vel structura lamellosa plane sub oculos cecidit. Compactio est granulosa, arenosa, cretacea, quasi crystallina, friabilis vel fragilis ideoque durities etiam immodice diversa. Non minus variabilis massa concrementorum observatur. Saepe nihil est nisi indumentum arenosum, quod vix percipitur, quasi inhalatum in corpus alienum; contra Civiale semel calculum ponderis unius librae (!) e vesica removit, qui nucleum habebat massam informem substantiae vegetabilis.

Hactenus de qualitatibus physicalibus calculorum circum corpora aliena formatorum; de chemicis vix quidquam addendum esse videtur, cum omnia, quae hac de re scire opus est, in quovis enchiridio chirurgiae melius et copiosius exposita sint, quam id a me hic possit fieri. Unum tantum in studiis, quae ad hunc laborem suscipiendum feci, miratus sum, scilicet tam multa concrementa calculosa ex ammoniaco-magnesia phosphorica constare. Et hoc etiam cum principio distributionis urolithorum, quod Walther proposuit, prorsum convenit, qui incrustationes urinosas corporum alienorum et concretiones urinosas sine corporibus alienis distinguit, et ad illas breviter memo-

rat, eas ex salibus phosphoricis admixto saepius aliquanto acidi urici constare.

SYMPTOMATA ET DECURSUS.

Symptomata, quae corporibus alienis in vesica effici solent, plerisque in casibus sunt intra numerum eorum, quae calculis vesicalibus in universum cientur. Sunt symptomata catarrhi vesicalis.

Si corpus alienum tale est, ut gravem irritationem in mucosam vesicae exerceat, vel nuperrime demum in vesicam pervenit, plerumque symptomata nascentis catarrhi vesicalis acuti proveniunt. Interdum febris adest. Saepius aegroti queruntur de doloribus indeterminatis in regione hypogastrica et in perinaeo, qui sursum in regionem renalem et secundum urethram glandem versus pertinent. Pressione in regionem vesicalem saepius dolor cietur. Mucosa admodum impatiens est contentorum vesicae; saepius oritur pressio ad mingendum, vel continuis contractionibus spasticis sphincteris vesicae tenesmus vesicae provocatur, similis tenesmo recti. Urinae omissio summum dolorem ciet, quasi plumbum fusile per penem decurrat (Canstatt), urina emissa usque fit turbidior, sedimentis plus minusve copiosis. Saepius etiam gravis stranguria oboritur.

Si irritatio non tollitur remotione corporis alieni, catarrhus vesicalis acutus in chronicum transit. Dolores mitigantur, pressio ad mingendum perdurat et saepe etiam increscit. Muci in urina quantitas perpetuo augetur, urina fit crassa et turbida, sedimentum pelluciditatem prorsus amittit, album fit vel luteum, gelatinosum, tenax, ut fila trahat. Effectu muci qui similis est fermento urina in fermentationem alcalicam transita abnormes quantitates ammoniaci urici et ammoniaco-magnesiae phosphoricae inve-

niuntur (Tripelphosphate), quae microscopice etiam in crystallis suis demonstrari possunt, et urinae odorem graviter ammoniacalem et neutralem vel saepius graviter alcalicam reactionem impertiuntur.

Saepius autem corpus admodum diu in vesica permanet, neque tamen haec symptomata excitat; vel eadem in decursu temporis plus minusve evănescunt et calculus saepe per multos annos non detegitur, dum sine gravioribus molestiis toleretur. Ita Fabrice de Hilden casum narrat, ubi glans plumbea per quindecim annos in vesica latuit et in sectione demum detecta est. Hac glande gravia symptomata provocata esse, haud credibile est. Casus simillimus legitur in Philos. Transact., pariter Covillard de glande refert, per quinque annos tolerata. Remer de fragmento ossis, quod etiam post vulnerationem in vesicam pervenit, ubi per tres annos mansit. Candelam per tempus aeque longum in vesica permansisse Louis observavit, Camper anno post, quam homo quidam ceciderat, ligni ramenta ex eius vesica extraxit, Walther etiam post duos annos et dimidium. Proprietati individuorum hic quoque permagnum momentum tribuendum videtur.

Exitus affectionis corporibus alienis in vesica versantibus effectae diversissimi sunt. Faustissimus haud dubie is est, ubi corpus alienum sponte plerumque cum urina per urethram evacuatur. Talium casuum numerus satis magnus litteris publicatus est. Inter alios Civiale memorat spontaneum exitum acus fenestratae (Claudinus), fragmenti ossis, quod post vulnerationem in oesicam devenerat (Waltz), specilli elastici (Guerbois). Praeterea casus attentione dignissimus, quem Voss (Deutsche Klinik 1860) publicavit, mihi observatur. Puellae undecim annorum inter manipulationes masturbatorias stylus schistinus plus duos pollices longus in vesicam illapsus est, unde propter situm semper transversum repetitis tentaminibu

extrahi non potuit. Ab ulterioribus tentaminibus medicus destitit; quia symptomata irritationis vesicae levia tantum erant. Octo hebdomatibus post subito vehemens pressio ad mingendum exorta est, inter quam stylus iam incrustatus subito ex urethra provolavit.

Post illum faustissimus exitus est in perfectam sanationem post operationem, quae fortasse facienda fuit; corpus alienum remotum est, catarrhus vesicae cedit restitutioni in integrum. Minus iam fausta res est, si ex operatione fistula vel alii qui obnormes status remanent, quibus successus operationis turbatur et perfecta sanatio, si omnino, tamen aliquantum demum post tempus admittitur. Denique autem, et hoc cardine res omnis versatur, in iis casibus ubi operatio necessaria fit, omnia ab exitu operationis dependent.

Alii exitus, perforationes extrorsum, in rectum, in vaginam vel in cavum pelvis et quae diversa inde sequuntur, hic leviter tantum attingere volo, quum in universum sint satis rari et haec res profundius tractanda esset, ut omnium rerum, quae hoc in discrimine evenire possunt, iusta ratio haberetur. Fistulae, diuturna suppuratio et abscessio, gangraena, pyämia ac denique mors inde sequi possunt.

DIAGNOSIS.

Quod attinet ad diagnosin, haec plerisque in casibus iam ex anamnesi certo stabiliri poterit. Fracta est cuipiam candela, periphericum fragmentum, quod adhuc comprehendere et per urethram extrahere potuit, secum affert; cum constet, quodvis corpus in urethram ingestum eo tendere, ut retrorsum in vesicam migrent, satis certo coniici potest, alterum fragmentum esse in vesica. Si symptomata irritationis vesivae accedunt, diagnosis paene certa fit. Penitus certa denique evadit reperto obiecti. Hoc paene sola pal-

patio nobis praebet, sive directa sive indirecta, quae fit instrumentorum auxilio. Raris in casibus corpus alienum per integumenta abdominalia proxime supra simphysin ossium pubis digitis sentiri potest. Frequentius interna exploratione per rectum vel per veginam corpus alienum in vesica inesse percipitur et eius qualitas, situs etc, cognoscuntur. In casibus longe plurimis tamen diagnosis ope instrumentorum in vesicam immissorum, specillorum, catheterum etc. constituetur.

In universum facilis habenda est, quamquam difficilis vel etiam nulla fieri potest, si nulla causa suspitionis corporis alieni exstat et exploratione modo praesentia massae calculosae non vero certi corporis certa redditur. Non dubie fieri etiam potest, ut corpus alienum in aliquo diverticulo vesicae iacens exploranti specillo aliquando se subtrahat.

In casibus singularibus ad diagnosin corporis in vesica versantis fortasse aliquando percussio in usum vocari poterit.

PROGNOSIS.

Prognosis in universum satis fausta dici potest, quia cum extractione corporis plerumque omnia, quae sanationi obstare possint, sublata sunt. Iis tantum in casibus obnubilatur, ubi status consecutivi cuiuscunque generis per longius vel brevius tempus post corporis remotionem salutem turbant. Infausta fit, ut apparet, si graviores status morbosi vesicae aliorumque organorum pelvis accedunt, quo in casu etiam letalis fieri potest.

Si operatio facienda est, hanc in prognosin summum momentum habere facile intelligitur. Ceterum adnotandum est prognosin inde a frequentiore exercitio extractionis multo faustiorem exstitisse, quum de centum lithotomiis, quas antehac tam frequenter factas esse notum est, secun-

dum mediam rationem quindecim infaustum exitum habeant, contra de centum et duodecim extractionibus tres tandem in mortem exierint.

THERAPIA.

Si corpora aliena non sponte e vesica exeunt, sed artis interventio requirenda est, facile intelligetur artis opem non internis remediis sed tantummodo actione chirurgica saepissime vere operativa ferri posse. Tota igitur materia, de qua agitur secundum proprium sensum verbi pure chirurgica est, medicatio interna hac in re nullas nisi infimas partes agere potest. Iam quamquam magnus numerus certarum operationum chirurgicarum adhiberi solet, tamen ex altera parte propria natura singulorum casuum tantum valet in eorum therapiam ut aliquo modo difficile sit, regulas universales dare.

Nihilominus conabimur breviter indicare ubi haec ubi illa operatio praecipue locum suum habeat. Singulas operationes ipsas subtilius exponere a nostro consilio alienum esse in aperto est, neque magis in enumerandis vel accuratius describendis omnibus instrumentis, quae ad has operationes inventa sunt, operam nostram navare possumus, et operationes et instrumenta quodvis enchiridium chirurgiae accurate describit.

Transitum a spontaneo egressu ad artificialem remotionem ii casus sistunt, ubi via fortuita ad extractionem praesto est; atque hic plerumque violentiore operatione nihil opus erit. Exstat autem fortuita via 1) si corpus alienum partim in vesica partim extra versatur. Ita factum est in casu, quem Dolignon curavit, ubi frustum ligni medium in vesica medium in vagina erat. 2) Si in vesica foramen exstat amplius urethra, ut in extractione supra descripta pessarii per fistulam vesico — vaginalem (Jobert de Lamballe). Si fistula est angustior, dilatari

potest, ut in casu sequenti in hospitali Bourdigalensi observato. Post punctionem vesicae tubulus male firmatus in vesicam illapsus erat. Vulnus ex punctione dilatatum est, quo facto extractio tubuli per idem successit. 3) Si corpus alienum prominentiam extrorsum vel rectum vel vaginam versum efficit. Extrorsum autem extrudere non licet, nisi postquam extractio naturali via frustra tentata, corpus non magnum est et extrusio non periculosior est, quam aliae operationes. Haec methodus praecipue commendatur, ubi agitur de acubus, quae exempli gratia vaginam versus extrudi possunt.

Extractio per urethram propter instrumenta satis voluminosa ingerenda plerumque satis magnum amplitudinem eius postulat. Quae ubi non sufficit, dilatatio artificialis indicata est. Haec aut lente aut violenter confici potest. Adiuvatur iniectionibus in vesicam, quarum utilitas hic saepe maxima est. Segalas ubi agebatur de corporibus quae natare possunt, aërem et aquam in vesicam iniecit, Cazenave fluida mucosa (id quod cum ratione maxime convenire videtur). Fluida, quae resolvant, veluti Hydrargyrum iniicere, si non periculosum, certe inutile est. Dilatatio lenta plerumque efficitur spongia compressa, radice Althaeae (Cazenave) et aliis corporibus udore turgescentibus, quae ad exemplum candelarum adhibentur. Dilatatio violenta efficitur instrumentis, quorum principale et usitatissimum solum dilatatorem Weissii hoc loco laudo. Dilatationem violentam Hawkins nuperrime commendavit.

Ceterum missam faciens innumerabilem diversitatem instrumentorum, quae in speciali casu ingenio inventorum occasionem lucendi dederunt, breviter tantum de iis instrumentis agam, quae secundum certa principia ad corpora aliena e visica extrahenda inventa sunt. Alioquin a

simplici specillo fenestrato, quo La Motte aliquando acum, Leroy fragmentum calculi extraxit, incipiendum esset.

De forcipibus frequentissime in usum veniunt eae, quae ad exemplum polypagarum in forma recta, aliquantum curvata vel angulosa constructae sunt, nimirum in maribus paene nunquam, in feminis paene solae. Veteriores forcipes etiam ad usum in maribus destinatae forpiculis similes (v. Hilden, Bischoff, Paré) transire possumus et solam eam, quam Cooper-Weiss invenerunt, hoc loco commemorare. Alterum genus est forcipum elatere instructarum, quarum optima effigies est nota illa Hunterica, quam Desault variavit. Perfectior est instrumentum tribrachium quod Civiale invenit cuiusque brachia Récamier, Megrieux alii auxerunt et aliter constituerunt, forsitan impendio utilitatis. Denique varia sunt alia genera forcipum, quae iam confinea sunt percussori Heurteloupico infra etiam memorando.

Instrumentum ad extractionem constructum peculearibus principiis fundatum est notum illud, quod Matthieu invenit. Non possum praetermittere, quin hic perfectiorem varietatem instrumenti modo nominati, quam Ill. Blasius invenit hoc loco accuratius describam, cum eius efficaciam saepe comprobatam testis oculatus testari possim. Complures casus, ubi in clinico huius urbis adhibitum est, inter alios is, qui sub I. in capite finali describetur, eius utilitatis argutissima sunt documenta. Praecipue idoneum est ad removendas acus, potissimum capillares. Iconibus additis eius constructionem et effectum explanare studii. Constat (vid. Fig. I.) primum ex tubo metallico, ex cuius superiore extremitate harpago acriter influens prospicit, qui, et hoc variatum instrumentum originali praestat, angustae laminae chalibeae elasticae affixus est, quae tubum veluti ensis vaginam permeat, et ad

cochleam infra applicatam affixa est, qua harpago cum elatere coniunctus, prout res postulat ex tubo promitti aut in eum reduci potest. Iam hoc instrumentum in applicatione reducto harpagone ingeritur, qui postquam promissus est et acum comprehendit, cochleae ope rursum in tubum reducitur. Iam acus, comprehensa sit ut in Fig. II. aut in Fig. III., semper eo loco, quo prehensa est, sive unum crus sive utrumque est prehensum, infringitur, simul atque harpago in tubum recipitur, atque e contrario omnes aliae curvaturae et inflexiones, si quae exstant, in ipso orificio tubi rectae redduntur, quem admodum id in Fig. III. lineae punctis notatae indicant. Praestantia huius instrumenti, iterum id dico, in eo sita est, quod harpago non ad rigidum asserculum metallicum sed ad elasticam laminam affixus est, unde satis facile totam circumferentiam vesicae perstringere potest. Fig. IV. et V. instrumentum lithotripteri simile et (V.) eius effectum demonstrant; destinatum est eo, ut mobili brachio masculo corpus alienum inter hoc et muliebre brachium compressum teneat.

Iam simul ac corpus alienum incrustatam est, primum agitur de calculi vel corporis ipsius diminutione. Corpus, si non est metallicum, interea et maceratione et incrustatione ipsum fragile factum erit. Verum etiam si minus diminutione calculi tamen certe ad originalem formam reducetur. Satis habeo hoc loco instrumenta lithotriptica, quae Civiale, Leroy, Amussat, Jacobson invenerunt, et Percussorem Heurteloupicum nominatim tantum laudare.

Ultimum remedium denique sola lithotomia restat. Priore tempore praecipue antequam extractio et lithotripsis in usum venerunt, satis frequenter applicabatur, quamquam in nostris casibus minus fausta esse solet quam si fit propter urolithos. Ratio habenda est in hac re praeci-

pue temporis, per quod corpus alienum in vesica versatum est, tum formae et naturae et incrustationis qua obtegitur. Quod attinet ad diversas methodos adhibitas, sectionem lateralem fecerunt Langenbeck, Macpherson, Denucé, Groh, Rothmund, Burow, alii, s. bilateralem Chaumet, s. altam Dieffenbach et Kirby. Backer laminam cultri per rectum removit, Dittel acum capitatam (v. s.).

De diversis methodis lithotomiae fusius agendi hic non est locus, ea materia esset specialis dissertationis.

Ceterum quod attinet ad universales regulas de therapia exercenda, ubi de corporibus alienis in vesica agitur, meliores dare ego nesciam, quam quas Denucé proposuit et quae hiç adiiciuntur.

In feminis

post primam accuratam explorationem specillo factam:

1) tentandum est, digitum in urethram ingerere, protinus forceps per digitum ingerenda et corpus extrahendum,
2) id si fieri non potest, medicus iniectione facta corpus alienum polypagra vel forcipe Hunterica vel lithagra comprehendere tentet, et simul digito in vaginam ingesto utatur,
3) si corpus protinus extrahi non potest, medicus tentet id diminuere vel, si nimis longum est, directionem eius corrigere vel ipsum infringere,
4) illud si non ex voto cedit, dilatatio urethrae et denique lithotomia suscipienda.

In maribus tentetur

1) corpus librum si adhuc in urethram imminet a perinaeo fixum tenere et forcipe comprehendere,
2) si corpus totum est in vesica, medicus iniectione

facta id apprehendat percussore vel simili instrumento eique rei e recto opituletur,

3) si corpus est nimis magnum, ad lithotripsin accedatur, si nimis longum ad correctionem directionis et infractionem,

4) si haec effici non possunt, medicus lithotomiam faciat; praeferat S. lateralem (alta minus fausta est reliquis) et primum tentet digitum in vulnus inserere, ut, si fieri possit, extractionem per urethram perficiat.

In fine mihi adhuc liceat quam brevissime tres casus memorare, quorum primus et secundus decursu novissimi biennii in clinico-chirurgico Halensi observati nondum publicati sunt. Tertius autem demum abhinc aliquot hebdomatibus in Medical Times et Gazette communicatus propter novitatem etiam paucis adhuc cognitus erit.

I.

Ida Freyberg, 12 annos nata, Loebeiunensis, in clinicum recepta 29. 1. 63. Aegrota puella ceterum sana quinque diebus ante cum pruritu verminoso ad vulvam incitata masturbari tentaret, acum capillarem in urethram inseruisse dicitur, quae in vesicam illapsa est. Protinus magni dolores in urinatione et defaecatione provenerunt. Specillum inter narcosin chloroformio effectam in vesicam inductum in corpus alienum incidit. Idem continuo post, ingesto cathetere et emissa urina non rursum contigit. Ordinatio praecursoria: Propter nimios in regione vesicali dolores octo hirudines illuc applicatae. Interne ol. Ricini ad potionem infus. sem. Lini, quo tollatur irritatio vesicae. Postridie habitus manifesto melior, dolor neque in urinatione neque in defaecatione. Regio vesicalis pressa non

multum dolens, in urina sedimentum mucosum. Antequam instrumentum Berolino postulatum advenit, extractio ope argentei specilli incurvati tentata est. Acus feliciter comprehensa est, sed cum instrumentum inter tractionem curvaretur, haec res missa est.

16. 2. Acus instrumento, quod Matthieu invenit, Ill. Blasius variavit, et quod supra accurate descripsimus, comprehensa, inflexa, extracta est. Leviter tantum erat incrustata.

Graviora symptomata inflammationis extractionem non sunt secutae, ut 23. 2. aegrota perfecte sanata dimitti posset.

II.

Sophie Vollrath, nata Klein, 53 annos nata, uxor molitoris, rec. 13. 5. 65. Adhuc nullo morbo laboravit, qui ad malum, quo nunc laborat, referri possit. Iam diutius anno dysuria paullatim crescente laborat, per temporis intervalla incontinentia urinae, doloribusque inter urinae evacuationem et regione vesicali pressa obtusos dolores sensit. Urina est admodum turbida, albida, cum copioso sedimento, alcalica. Sedimento multo corpuscula muci vel puris continentur, praeter illa crystalli Ammoniaco-Magnesiae phosphoricae. Exploratione vesicae ope catheteris instituta calculus certo percipitur. Parvos calculos adhuc exiisse aegrota negate. Ceterum utitur salute pro annis integra, cuncta organa interna sunt normalia. Postquam quiete et usu balsami Peruviani status vesicae non paulo melior factus est, et urina quoque ad meliorem etsi nondum normalem habitum rediit, lithotripter ingestus est calculi metiendi et si fieri posset continuo frangendi causa. Calculus facile perceptus est; sed pluries frustra tentatum est, eum brachiis instrumenti comprehendere. Instrumentum ut videbatur, frustra clausum e vesica extractum est,

ecce! ad circumstantium admirationem inter eius brachia spica vetusto sanguine rubefacta per totam longitudinem exiguis calculis incrustata. Aegrota ipsa hoc repertum, ut videbatur, summopere mirans negabat, quamvis impense in eam inquireretur, de modo quo spica in vesicam pervenerit, se quidquam scire. Proximis diebus cum urina complura fragmenta calculosa, quae secundum totam figuram particulae maioris calculi esse certum visum est. Cum status vesicae et habitus urinae in dies ad normam propius accederent, neque catheter explorandi causa in vesicam ingestus unum vestigium calculorum demonstraret, aegrota 12. 6. sanata dimissa est.

III.

Cheltenham Hospital.

Casus curatus a Clemente Hawkius, relatus a L. Winterbotham.

E. S. puella 12 annorum, figura bona 27. 3. 65 in Cheltenham General Hospital recepta est cum vehementissimis symptomatis calculi vesicalis. Specillo adhibito re vera massa calculosa detecta est. Interrogata aegrota protinus confessa est, Decembri a. s. se acum capillarem in urethram sibi inseruisse, eam manibus suis elapsam esse. Exinde se multa perpessam esse ac denique dominium vesicae et recti amisisse. 1. 4. inter narkosin chloroformio effectam in urethram dilatatore Weissii subito dilatatam parvum lithotomum ingestum et re vera mollis massa calculosa extracta est, in qua impressio unius cruris acus capillaris conspicua fuit. Vesica, quantum eius fieri poterat, purgata est, ulteriores actiones operativae in praesentiam dilatae. 8. 4. urethra iterum dilatata est, et tentatum recta forcipe acum extrahere. Haec pluries quidem comprehensa est, sed extractio non successit. Digitus in

vesicam ingestus reperit impədimentum in eo esse, quod extremitates eius in crucis figuram inflexae erant. Eam ob causam Hawkins instrumentum illud, quod Matthieu invenit comparavit. 16. 4. hoc instrumento tentatum est acnm extrahere. Acus prominente harpagone comprehensa cum hoc in tubum reducta est; cum adhibita magna vi, quam curvatio acus postulabat, instrumenti actio subito cessit, quia complures dentes asserculi dentati fracti erant. Feliciter repertum est, unum certe crus acus aliqnantum in tubum reductum esse, ubi defractum erat. Alterum crus non minus feliciter situ parallelo ad latus tubi appressus erat, ut cum hoc extrahi posset.

Post operationem nulla symptomata graviora apparuerunt, incontinentia urinae aliquanto post prorsum sublata est, itaque aegrota 15. 5. penitus sanata dimitti potuit. (Sept. 1865. Med. Times and Gazette.)

VITA.

Natus sum, Oscar Gustavus Duemke, Silesius, in oppido Landeshut, die XXVI. m. Mai. a. d. MDCCCXLIII patre Gustavo scriba ordinum provincialium, quo adhuc superstite gaudeo, matre Clementina, e gente Linke, quam morte nimis praematura mitri ereptam lugeo. Fidei addictus sum evangelicae. Novem annos natus scholam Glogaviensem frequentavi, quae tum temporis auspiciis doctissimi Menzel magnopere florebat. Cum vero pater a. d. 55, ut vectigalia in regione ad oppidum Mansfeld pertinente exerceret, hoc in oppidum missus esset, scholam Islebiensem petii auspiciis doctissimi Ellendt tum florentem. Denique post annum gymnasium Halense, cui nomen est scholae latinae adii. Ibi auctumno anni 61 h. s. a rectore Eckstein, quo viro doctissimo dirigente haec schola maxime floruit, testimonio maturitatis instructus, almam literarum universitatem Halensem cum Vitebergensi consociatam petii, cuius civibus ab Ill. ac maxime venerabili Jacoby adscriptus sum. Scholis interfui hisce:

Ill. Volkmann: de anatomia, de physiologia, de physiologia sensuum speciali; Cel. Welker: de anatomia organorum sensibus inservientium, de osteologia et syndesmologia, de histologia una cum exercitationibus microscopicis, de historia evolutionis; idem duces mihi fuerunt in arte cadavere rite dissecandi; Ill. Vogel: de encyclopaedia, methodologia et historia medicinae; Ill. Erdmann: de logicis; Ill. Knoblauch: de iis, quae de rerum natura disputantur; Ill. Heintz: de chemia experimentali, organica, physiologica, de theoria chemiae, idem dux mihi

fuit in inquisitionibus chemicis; Ill. Krahmer: de pharmacologia et de arte formulas medicaminum rite concinnandi; Exp. Schweigger-Seidel: de subtiliori glandularum constructione et functione; Ill. Blasius: de chirurgia generali, de chirurgia vulnerum speciali, de akiurgia, de morbis ossium, de herniis; Ill. Olshausen: de theoria artis obstetriciae, de morbis ovariorum, de morbis uteri; Cel. Mann: de pathologia et therapia speciali, de syphilide; Cel. Volkmann j.: de ossium fracturis et luxationibus, idem praefuit operationibus in cadaveribus instituendis; dux mihi fuit in operationibus obstetriciis Exp. Franke.

In clinicis ducibus usus sum viris doctissimis hisce: Ill. Weber in clinico-medico et policlinico, Ill. Blasius in clinico chirurgico et ophthalmiatrico, Ill. Olshausen in clinico obstetricio, Ill. Graefe in clinico ophthalmiatrico.

Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias habeo semperque habebo quam maximas.

Iam vero tentamine physico quam medico nec non examine rigoroso rite superatis, spero fere, ut hac dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

I.

Tracheotomia, si in angina membranacea in tempore instituitur, ob successum saepe bonum impense commendanda est.

II.


Interna medicatione cataractarum progressus inhiberi non possunt.

III.

Vulnera articulationum glandibus plumbeis vel ferreis factae, resectionem earum postulant.

IV.

Aptissimum tempus ad sectionem caesaream faciendam est extrema periodus dehiscentiae oris uteri, neque refert, aquae iam effluxerint necne.


V.
I.
II.
III.
IV.